Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35053
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

patenter datur intelligi quid est
quod veritas dicit A diebus Iohannis
baptiste usque nunc regnum celorum
vim patitur, et violenti ra
piunt illud. Que superne verba
sapiencie nobis sunt magnopere
perscrutanda. Nam querendum
est quo vim perpeti regnum celorum
possit. Quis enim celo violenciam
irrogat. Et rursus querendum
est si pati vim regnum celorum
potest, cur eandem vim a diebus
Iohannis baptiste et non eciam
ante pertulerit. Sed cum lex dicat
Si quis hec vel illa fecerit mor
te moriatur, cunctis legentibus
liquet, quia peccatores quosque
pena sue severitatis perculit, non
autem per penitenciam ad vitam reduxit.
Cum vero Iohannes baptista re
demptoris graciam precurrens
penitenciam predicat, ut peccator qui
ex culpa mortuus est per con
fessionem vivat, profecto a die
bus Iohannis baptiste regnum
celorum vim patitur. Quid est
autem regnum celorum nisi locus
iustorum. Solis enim iustis pa
trie premia debentur, ut humiles
casti, mites atque misericordes
ad gaudia eterna perveniant.
Cum vero quis vel superbia tumi
dus, vel carnis facinore pol
lutus, vel iracundia accensus,
vel crudelitate impius, post cul
pas ad penitenciam redit et
vitam eternam percipit, quasi
in locum peccator intrat alienum.

A diebus ergo Iohannis baptiste
regnum celorum vim patitur et vio
lenti rapiunt illud. Quia qui
penitenciam peccatoribus indixit quid
aliud quam regno celorum fieri
violenciam docuit. Recogitemus
ergo mala que fecimus, et nos
metipsos assiduis lamentis at
teramus. Hereditatem iustorum quam
non tenuimus per vitam, rapiamus
per penitenciam. Vult a nobis omnipotens
deus talem violenciam per pe
nitenciam perpeti. Nam regnum
celorum rapi vult nostris fletibus
quod nostris meritis non debetur. Ad
spei ergo certitudinem nulla nos
malorum nostrorum qualitas, nulla
quantitas frangat. Prestat mag
nam venie fiduciam latro ille ve
nerabilis ex confessione. Cogi
tate fratres cogitate quam sint
incomprehensibilia in omnipotenti
deo misericordie viscera. Latro iste cru
entis manibus abstractus a
fauce itineris suspensus est in
patibulo crucis. Ibi confessus
ibi sanatus est, ibi audire me
ruit hodie mecum eris in paradiso.
Quid est hoc. Quis tantam dei
bonitatem dicere, quis estimare
sufficiat. De ipsa pena criminis per
venit ad premia virtutis. Ideo
autem omnipotens deus, electos
suos in quibusdam lapsibus
cadere permisit, ut aliis in culpa
iacentibus, si toto ad eum corde
consurgant spem venie reddat
et eis per lamenta penitencie viam
pietatis aperiat. Exerceamus